

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

III.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1570.

PARS QUARTA.

311

fiis nostræ ditionis, paucis annis, Bavarorum aliquot πολυπραγμοσύνη & φιλονεικία perniciosissima. Non quod tale quippiam de Hausmanno, quem virum bonum & φιλόσοφον esse arbitramur, metuamus: sed quod Ecclesiæ periculum cautiore nos esse postulet. Ego ad septimum vel octavum Februarii diem, Hausmannus siquidem redierit, convasata libraria supellectile, hinc solvam. Quod superest, Dominos parentes tuos, cum fratre Erasmo & reliqua familia in Domino Christo salvere & valere jubeo. Reichenvilla, 8. Kal. Februarii Anno 1570.

Tuus

Johannes Pappus, Ecclesiæ Reichen-
vveileranæ Diaconus.

Inscriptio:

Ornatissimo Juveni, eruditione & pietate præstanti, Domino Philippo
Marpachio, S. S. Theologia in Neacademia Argentinenfi Professori,
suo & Domino & amico colendo.



III.

S. D. Reverende & clarissime Domine Superintendens.

Edi ad te, 21. Novembris literas, civi nostro, qui nondum ad nos rediit. Epistolæ, quam ad te superioris anni mense Julio Vienna dedi, vel alterius postea scriptæ, exemplum intelligo in Aulam Imper. emanasse; & me graviter accusari, quod taciturnitatem debitam in hoc negotio non præstiterim. Idque etiam teneris Ecclesiis procerum Austriacorum incommodi aliquid allaturum esse ominantur. Nam Imp. suo nomine & autoritate publicâ confirmare Ecclesiarum emendationem plane recusat. Sed tantum tolerat. Itaque sævum prælustri fulmen ab arce expecto, ac metuo, ne qui hæcænis mei Principis captivus fui, nunc gravioribus vinculis implicer. Oro autem, ne meas literas deinceps aliis monstres, & has quoque, cum primum legeris, inflammes.

D. Jacobus Andreæ initio Decembris apud nos fuit, & æquissima conditione articulos nobis suos proposuit, ut vel subscriberemus, vel nostris ipsi exhiberemus. Eam initio hujus anni ad Julium Ducem Brunsvicensem misimus. D. Jacobus ex Thuringia Berlinum circa finem Februarii rediit: ac
Jenen→

Jenensium hostem se palam, asperrime iis maledicendo, declarat. Alii adularatur, quos doctrinam de majestate Hominis Christi, in vestris confessionibus defensam, toto corde execrari, & de multis aliis doctrinæ partibus à nobis dissentire non ignorat. Quam tristis laniena editionem Actorum Colloquii Aldeburgenfis secutura sit, magno cum dolore cogito. DEUM oro, ut miseris nostris opem ferat, & opprobrium ac ludibrium hostium nostrorum, quibus materiam uberrimam ipsi præbemus, propter gloriam nominis suitandem ipse tollat. Bene vale. Rostochii Nonis Martii, Anno 1570. Catecheseos meæ, quam Witebergæ iterum excudi prohibuerunt, si isthic expressa est, exemplum ad me per hunc tabellarium mittes.

David Chytræus.



IV.

S. D. Reverende & Clarissime Vir, patrone colende.

LIteras 8, Idus Januarii à te datas, Die Æquinoctii Verni accepi, ex quibus paternam de me sollicitudinem & fidem tuam, multis illustribus testimoniis antea mihi sæpe perspectam, denuo cognovi. Nam quod de Lazaro Svendio me admones, cognovi ipse ex aliquot colloquiis, cum Erasmi paraphrases amare, & substantialia religionis Pontificiæ & nostræ, ferè eadem judicare. Sentit autem, ut Homo sapiens & politicus, ac publicæ pacis & tranquillitatis studiosus, *inæquias*, quæ in nostris Ecclesiis quotidie novis certaminibus & bellis occasionem præbet, tolerari à summis Gubernatoribus non debere. Sed ut in regno Turcico, etiam varæ religiones sunt, tamen singulæ ordinem & gradus Episcoporum certos habent, per quos concordia retinetur: itidem in Moldavia & finibus Russiæ, ubi se bellum gerentem, Visitatori illarum Ecclesiarum, ab Archiepiscopo Ruthenico, illuc misso, omnia clementis defensionis & promotionis officia præstitisse narrabat: Ita in Germania etiam Imperatori operam dandam esse censebat, ut ordo gubernationis Ecclesiasticæ & obedientia legitima restitueretur, ne paulò post similis laniena, qualis nunc Galliam pessundat, Germaniam quoque dilaceratam, Hispanis opprimendam præbeat. Hæc summa est Theologiæ ipsius. Scio autem, cum Imperatori hortatorem fuisse, ut promissum duobus Statibus Austriacis de Religione factum servaret: cujus adhortationis politicas causas haud dubie graviore habuit, quam vere religionis promovendæ studium. Ego de jurisdictione Episcoporum nihil ei discrepans ab ea sententia, quam in meis ad te literis expressi, unquam exposui. Cum autem literas illas ad te meas emanasse etiam in aulam Imp. intelligam: quæro ut con-